

---

**Probabilismus Methodo Mathematica Demonstratus  
(Latin Edition)**

**Fortunato**

---

**Title: Probabilismus Methodo Mathematica Demonstratus (Latin Edition)**

**Author: Fortunato**

**This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.**



Fortunato da Brescia

PROBABILISMUS  
METHODO  
MATHEMATICA  
DEMONSTRATUS  
AUCTORE PATRE  
PITHANOPHILO.



LUGDUNI.

---

1747.

1957

1957

1957

1957

1957

1957

BX

1757

F74

Lib. Com  
Maglione  
2-10-28  
16615

A D  
LECTOREM.



*Q*uae sunt omnino duae,  
quae de Probabilismo  
me ad scribendum im-  
pulere. Altera Proba-  
biliarum persuasio  
est, qui de eo hoc tempore jam esse  
actum arbitrantur. Ex quo enim eo-  
rum Sententia, novis in dies fauto-  
ribus aucta, pugna ex adverso ali-  
quantum per haec tempora remitten-  
te, magis invalescere visa est, exi-  
stimant Probabiliorismum jam obti-  
nuisse, ac triumphasse, Probabilif-  
mum omnino vero, devictis, atque

\* 2

pro-

profligatis ejus Assertoribus, corruisse.  
Quibus sane occurrendum est, ne  
falsa hac existimatione decepti, tan-  
quam de parta victoria gloriantur,  
neve saltem Probabilista de causa  
ipsa desperantes ab ea amplius re-  
tinenda, aut defendenda deterrean-  
tur. Qui novit quid respondeat,  
(preclare S. Augustinus) debet res-  
pondere vel propter alios, quibus  
desperatio suboritur, si propositam  
quaestionem solvi non posse credi-  
derint.

De Serm.  
Domini  
in Monte  
Lib. 2. cap.  
20.

Altera porro causa, eaque profecto  
princeps maxima hujusce Controversiae  
definiende utilitas est. Cum enim  
Quaestio haec ingentem Theologiae Mo-  
ralis partem complectatur, ab eaque  
tanquam a capite solutio pendeat mul-  
tarum peculiarium quaestionum, quae  
de moribus agitantur; sitque prae-  
terea origo, & fons, unde Doctorum  
dissidentia, ipsiusque Scientiae Moralis

*inconstantia, dubietas, incertitudo, periculum, atque ideo contemptus emanat; si ea certo expediri, ac prorsus terminari possit, sperandum est fore, ut ii in concordiam redacti unum dicant omnes, nec sint amplius inter illos de moribus schismata: ipsa vero Theologia Moralis, eliminata sententiarum diversitate, certa denique, constans, secunda, honorabilis in lucem prodeat: quo nihil profecto Scientiæ ipsi præclarior, Ecclesiæ autem, cunctisque Fidelibus conducibilior esse potest.*

*His duabus præsertim rationibus compulsus sum, ut Controversiam tam amplam, tam necessariam, tam difficilem, tam famosam, tamque a seculi sæculo, & amplius summa animi contentione ab innumeris doctissimis Viris agitatum rursus ex professo pertractarem. Cumque diu in illam diligentissime oculos intendissem,*  
peni-

penitusque introspexissem, denique comperi, si ex immensa eorum faragine, qua tum a Probabilioristis, tum a Probabilistis in hanc rem hactenus dicta sunt, & vero dici possunt, clara duntaxat, ac certa, atque ab utrisque concorditer admissa, rejectis dubiis, obscuris, confusis, ambiguis, incertis sumerentur, multaque alia supplerentur, quodque maxime refert, methodo omnium maxime scientifica, hoc est mathematica (hæc enim solis licet rebus per se mathematicis propria, nihil attamen prohibet, quo minus etiam in aliis, præsertim difficilioribus, celebrioribus, atque implicatioribus cum laude adhiberi possit) tractarentur, eam tandem aliquando pro Probabilistis, nullo amplius relicto cuilibet ambigendi loco, finire, atque terminari, verbo demonstrari posse. Hac opinione magis identidem confirmatus calamum sum-



*sumpsi, ac manum tabulae admovi, itaque multigenam quidem tantum certitudinem mutuatus a rebus ipsis, ordinem vero, ac methodum a Mathematicis, nisi me fallit animus, demonstravi. An vere scopum tetigerim, quidve de meo præ aliis contulerim, & quam denique etiam arduum opus assumpserim, periti, & equi Lectores judicabunt.*

Opus

**Opus tribus Partibus continetur .  
Prima Ratione . Secunda veluti  
Traditione , seu potius Scholæ  
Auctoritate , ac Praxi . Tertia evi-  
denti omnium Argumentorum  
solutione Probabilissimum licitum  
demonstrabit .**

**PRO-**

PROBABILISMUS  
METHODO  
MATHEMATICA  
DEMONSTRATUS.  
PARS PRIMA.



NOTA est MATHEMATICORUM METHODUS. Ea enim his veluti instrumentis perficitur, nempe Definitionibus, Axiomatis, Postulatis, Propositionibus, Corollariis, & Scholiis.

Definitio est alicujus explicatio. Cum explicatur quid significat nomen aliquod, definitio nominis, cum vero quid sit res ipsa, definitio rei dicitur. Nominum definitiones sunt arbitrariae, non minus tamen indubitatae, quia non potest alicui prohiberi, quin affingat voci objectum, atque notionem, quam maluerit. Nisi tamen necessitas postulet, standum est, sive in communi usu, sive in Scientia aliqua vocibus, aut ab omnibus, aut a Scientiae illius Professoribus usurpatis, neque peculiare iis signifi-

A

fica-

2      P R O B A B I L I S M U S

ficationes affingendæ . Mathematicorum . Definitiones vel omnino , vel quam maxime nominis sunt .

Axioma est sententia per se manifesta , seu propositio ita evidens per se , ut vel mediocriter attendenti , ex ipsa vocum perceptione , ejus statim veritas innotescat . Quoniam vero multiplex veritas est , ut infra apparebit , idcirco multiplex quoque Axioma esse potest . Nos in hoc Opere omnia Axiomata ad duplex veluti genus reducemus , & utrumque usurpabimus . Alterum illorum , quorum veritas vel leviter , uti diximus , expensis vocibus lucet illico per sese , cujusmodi illa : *Totum est majus sua parte : impossibile est idem esse , & non esse : cæteraque Metaphysica , & Mathematica Axiomata .* Alterum eorum , quorum veritas tamen ex verbis ipsis non innotescat , a Doctis tamen , & Sapientibus statim sine dubitatione admittitur , cujusmodi sunt : *Spiritualia non sunt in loco circumscriptive : Virtus in medio consistit : In dubio pratico de peccato tutior pars est eligenda :* aliarque permultæ in facultate qualibet certæ , exploratæque sententiæ . Priora Axiomata primi , posteriora secundi , doctrinæ causa , a nobis generis vocabuntur .

Postulatum est id , quod facile fieri posse est per se manifestum , seu quod assumitur tanquam factum , quia constat effici posse . Postulatis in hoc Opere locus proprie esse non potest , ut liquet . Quare illis Suppositiones , quæ Postulatis non multum absimiles sunt , quæque in omni re locum habere possunt , substituemus .

Porro hæc tria , nempe Definitiones , Axiomata , Postulata apud Mathematicos principiorum